

MAGNIFICO. NOBILISSIMO. AMPLISSIMO.
SENATI
REIPUBL. DANTISCANÆ
PATRIÆ PATRIBUS.
DOMINI MEI.

Nihil ex omnibus rebus humanis præclarius quam de Repub. benè mereri, eximie scripsit Pater ille Patriæ Epist. v. lib. x. Id verò non tam præscarum ætatis Rerumpubl., in quibus immortalis Sapientiæ ac Virtutis gloriâ illustres Viri, velut salutaria sidera effulserunt, præclare docent; quam res ipsa abundè loquitur, si suis rectè æstimeretur momentis. Enimverò tot civium salutis & felicitati studere, res afflictas excitare & recreare, ac inter gravissima Reip. tempora periculorum maximorum tempestatibus fluctuantes firmare, ecquis tam angusto jacet animo, ut non id omne magnificentum, pulchrum, admirabile existimet. Præsertim cum tam varia hominum in Republ. versantium ingenia atq; studia emineant, maximeq; his moribus, & hoc infesto virtutibus tempore, quo tuta nusquam vagatur Fides. Ac magni quidem atq; excellentis ingenii propria laus est, Microcosmum hunc, quem nonnulli appellant, in istâ corruptissimâ Naturæ imbecillitate ita constituere & gubernare, ut corpori sanitatis robore, dexteritatisq; aptitudine prompto atq; decore præsideat bona Mens & Sapientiæ Virtutisve viribus non minus valida quam constans. Tum Medicorum quoq; singularis existat Prudentia solertiq; qui artificiosum hoc Naturæ opus, cum variis è partibus constructum, tum plurimis insuper venis, arteriis, visceribus, musculis, humoribus prolixo apparatus instructum, ita curant studiosè, ut omnium & singulorum membrorum constitutio firma sit vegetaq; ac ad sua unumquodq; munia expedienda agile & accommodatum. Quæ uti præclara sunt & eximia, sic quam illustrior illorum præcellat opera, nequaquam potest esse obscurum; Qui nempe (ut paucis multa ac magna complectar) ad unumquodq; Reip. corpus, tam ab externa vulnere, quam interno morbo inte-

grum

Sächs.
Landes-
Bibl.